

Statuty Uniwersytetu Krakowskiego z 1724 r. (tzw. Waleszyńskiego)

Edycja: *Statuta Uniwersytetu Krakowskiego*, red. J. Szujski, „Archiwum do Dziejów Literatury i Oświaty w Polsce”, t. 2, Kraków 1882, s. 367–400.

Statuta Universitatis Rectoratu Magnifici Perillustris et adm. Rvdi. Dni. D. M. Martini Waleszyński. S. Th. Doctoris et Professoris, Collegae Majoris, Ecclesiarum Collegiatorum S. Floriani Clepardiae ad Cracoviam Canonici, Siradiensis Cancellarii, Scarbimiriensis et S. Michaelis in Arce Crac. Custodis, Montis S. Georgii in Scepusio Praepositi, Canonisationis B. Joannis Cantii Procuratoris, Ordinarii Librorum per Dioecesim Cracoviens. Censoris, Scholarum Novodvorscianarum et Contubernii Hierosolimitani Provisoris.

Formata a perillustribus et clarissimis Doctoribus et Professoribus omnium facultatum ab Universitate deputatis, revisa, ventilata et tandem in convocatione publica lecta et unanimi, omnium ordinum academicorum consensu approbata Anno Domini 1724, die 22 Martii. [s. 368]

Cum leges fuerint institutae et firmatae, non licet Judici de his judicare, sed secundum ipsas.

S. Augustinus de vera Religione

Nil est tam aptum ad jus conditionemque naturae, quam lex, sine qua nec domus ulla, nec Civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.

Cicero Lib. 3tio de Legibus. [s. 369]

Pars Prima.

De electione Magnifici Domini Rectoris.

Quoniam in electione Rectoris Universitatis nostrae prima libertas et dignitas maxima, communeque bonum omnium vertitur; a quo tanquam a capite in caetera membra diffunditur, ideo ab electione ejus ordimur, ac antiqua Statuta ad executionem deducendo, ordinamus.

STATUTUM I.

Die electionis stata, omnes omnium facultatum Doctores, magistri, Licentiati, Baccalaurei et Studiosi, pro decore et honore Universitatis et actus huiusmodi, in habitu quisque statui suo convenienti, praeueantibus cum sceptris bedellis ad mandatum per Magnificum Rectorem pro tempore existentem, extraditum, ad ecclesiam Divae Annae pro Missa votiva de Spiritu Sancto per hebdomadarium loci celebranda, convenient, nec inde discedant, nisi post sacrificium missae finitum, ibique orent, ut Deus omnipotens talis electionem inspiret Rectoris, qui bono communi proficius esset. [s. 370]

STATUTUM II.

Post finitum Missae Sacrificium omnes ad Lectorium CC. DD. Theologorum, electioni Rectoris destinatum locum, dato tertio signo campanae per bedellum, convenient, ibique perseverent; donec aut novus Rector eligatur, aut antiquus reeligatur, sub debito obedientiae, privatione dismembrationis ex fundatione Gorsciana.

STATUTUM III.

Post praemissum a Praesidente actus sermonem brevem in eligendo Rectore modus antiquus servetur. Nimirum primi electores novem sic eligantur. Ex Doctoribus facultatum Theologicae, Juridicae, Medicae, duo a Seniore, facultatis cujuslibet proponantur, et ex duobus unus eligatur per Doctores facultatis. Ex Philosophiae Doctoribus quatuor proponantur a Decano Facultatis Artisticae, et unus ex iisdem eligatur. Ex Professoribus Theologiae, Iuris et Baccalaureis Philosophiae, de duobus cujusque, a seniore Professore vel Baccalaureo propositis, unus eligatur. Iam vero ex nobilissima iuventute quatuor proponantur a primario iuventutis, et duo ex illis eligantur, ita, ut novem sint primi Electores, qui sic nominati, et post nominationem per bedellum a Praesidente actus per verbum placet approbati, data stipulata manu Praesidenti vim juramenti habente, quod [s. 371] bonum Universitatis promovebunt ad stubam Majoris Collegii descendunt, eliguntque septem viros. Qui septem viri per primum electorem redeunt cum aliis nominati et per verbum: placet, a Praesidente approbati, habebunt potestatem eligendi quinque viros. Hi quinque viri eligunt aut reeligunt Magnificum Rectorum pro instanti commutatione. Quae electio cum regimine ad unam commutationem, vel ad maximum ad tres durabit, cum praemissa semper reelectione, et non amplius, nisi interpolato spatio.

STATUTUM IV.

Et quoniam rectoralis honor eminentiae est, ita eligentium autoritas, (?) cavemus ne ullus in Rectorem eligatur, qui non sit actu laborans, nam quomodo arguet alios, cum culpa redarguet ipsum, nisi sit antecederet per Universitatem dispensatus. Tum et ille, qui censuris aut condemnationibus innodatus est, eligi in Rectorem non debet. Similiter et actu non laborantes, electionis incapaces sunt.

STATUTUM V.

Ut autem omnis suspicio tollatur, statuimus, quod qui a principio electionis praesens non fuerit, eo ipso electoratus inter septem et quinque viros incapax fiat, nisi legitime impeditus fuerit. [s. 372]

STATUTUM VI.

Quod si aliquando contigerit, unum Doctorem ex Facultate aliqua praesentem in electione esse, qui se ipsum proponere non poterit, protunc D. Praesidens actus Doctorem cum Professore ejusdem facultatis proponet, pro quorum uno eligendo, ipse Praesidens et Doctores facultatum superiorum vota sua dabunt.

STATUTUM VII.

Et si evenerit paritas votorum in electorem aliquem ex novem neque eligentes reassumpta iterum vota mutaveriut, praesidens, ut litem finiat, votum suum addet.

STATUTUM VIII.

Electio Magnifici Rectoris commutatione aestiva debet fieri in festo S. Gregorii; commutatione hyberna, ipso festo S. Galli, die non impedita, et si festivitas aliqua impediverit, sequenti immediate die. Illo autem, quo electio fit die, Magnus Rector mane sceptrum ad Procuratorem remittere dedebit, qui actum electionis disponet.

STATUTUM IX.

In Magn. Rectorem nemo eligi debet, nisi praesens sit Cracoviae, aut in suburbiis ejus, uti Clepardiae, Casimiriae, Vesołoviae. Electus Rectoratum acceptare tenetur, et [s. 373] si renuerit, debet reponere apud Dnum Procuratorem Universitatis decem marcas. Et tandem descendit iisdem Dni. Electores ad communem stabulam, ad eligendum Dominum Rectorem, praesidente eodem Cathedram ascendente.

STATUTUM X.

Interpretatio praesentiae in Rectore Universitatis ex Conclusionibus Universitatis a. 1516. die 10 Martii. Omnes illi interpretantur esse praesentes, qui continuo habent residentiam in domiciliis suis Cracoviae, non obstante eo, quod aliquando exire eos contingat, aut propter hoc, nec eligantur, aut ex quacunque alia causa ad unum duos aut tres dies, vel plures. Hi omnes sicut illi, qui praesentes sunt Cracoviae eligi possunt in Rectorem, sic tamen, quod Rector antiquus administret in officio Rectoratus, quousque venerit ille electus Cracoviam. Pro quo statim facta electione Rector antiquus scribat literas nomine totius Universitatis, et cursorem pro eo mittat per Procuratorem Universitatis salariandum, ut sub poena decem marcarum, visis huius modi literis veniat Cracoviam. Quod si non venerit ita avisatus, in decem marcis iuxta statutum antiquum erit puniendus, sicut et ille, qui existens praesens Cracoviae si electus fuerit in Rectorem, nollet suscipere, secundum Statuta antiqua puniatur. [s. 374]

STATUTUM XI.

Clamores et tumultus nemo excitare audeat in Electionis actu, sub poena exclusionis a convocationibus Universitatis per annum, si fuerit Magister vel Licentiatus, si Baccalaureus seu Studiosus, sub poena exclusionis ab introitu scholarum per annum.

STATUTUM XII.

Quod si quinque Electores in unum Rectorem convenire votis non possent, maxime quod Praesidens signatum aliquem a se et incapacem Rectoratus eligi vellet, nec a tali extorsione votorum recederet, ex tunc iterum septem Electores cedentibus quinque ad Stabulam Collegii descendunt et novum Praesidentem inter quinque Electores eligunt.

STATUTUM XIII.

Rectore mortuo, (ne Universitas mutila sine capite suo sit,) senior Pater Universitatis secunda die post mortem ejus mandatum pro electione Rectoris extradere teneatur, iuxta descripta superius statuta, nisi proxime exeunte ad finem commutatione, novi electio immineat, pro tunc senior Pater Universitatis regimen tenere potest.

STATUTUM XIV.

De residentia Rectoris.

Quoniam multa negotia Universitatem tangentia, ex inopinato ali/s. 375/quando eveniunt, quorum resolutio principaliter ad Magnificum Rectorem tanquam caput Universitatis cum Consiliariis assumptis spectat, ideo reassumendo antiquum Statutum — decernimus, quatenus Magnificus Rector se Cracoviae non absentet, et si aliquando discedendi necessitatem habuerit, (id tamen rarius contingat) diutius, quam tribus diebus non moretur, substituto in locum sui aliquo ex superiorum facultatum Doctore.

STATUTUM XV.

De Inauguratione.

Post novi electionem Rectoris, antiquus Rector, regimen Universitatis usque ad diem octavam retineat, qua incidente, congregatisque ordinibus academicis, ad Lectorium CC. DD. Theologorum, regimen cum insignibus, statutis actisque noviter electo Rectori tradet. Qui electus in manibus rectoris antiqui jurabit super punctis his. 1mo quod secundum iustitiam iudicabit. 2do pecuniam fideliter dispensabit. 3tio serio in negligentias Professorum introspiciet, praemissaque praefatione, possessionem electionis suae firmabit, consiliariosque nominabit.

STATUTUM XVI.

De Consiliariis.

Quoniam appellatione interposita a Consiliariis ad Universitatem, multiplicato numero Consi/s. 376/liarorum, causas intervenientes vix aliqui restarent ad iudicandum, ideo sicut in quolibet regno definitus est numerus Officialium ac Consiliariorum, ita et in Republica nostra Literaria, eosdem ad numerum octodecem reducimus, qui in negotiis obvenientibus consilio ac opera Rectorem juvare tenebuntur. Inter quos natos esse Consiliarios volumus exrectores, uti iam bene rerum academicarum gnaros, Doctores facultatum trium superiorum, quatuor Decanos facultatum, Procuratorem Universitatis, Oratorem, Notarium actorum Rectoralium, Syndicum; duos vero pro qualitate personarum sibi annumerare poterit, ita tamen, ut numquam definitum numerum viginti excedant.

STATUTUM XVII.

De Iudiciis Rectoris.

Quod a prima fundatione, ex concessione tam Sedis Apostolicae quam Serenissimorum Regum, et Serenissimae Reipublicae Polonae Universitas nostra obtinuit, hoc inviolabiliter observari volumus, ut Rector habeat iurisdictionem ordinariam super omnes, qui in Civitate Cracoviensi et suburbiis ejus studii causa

moram traxerunt in omnibus causis civilibus et criminalibus levioribus nec ullum unquam in iisdem causis Doctorem, Magistrum, Scholarem, Bedellum, alibi coram iudice quocunque ecclesiastico vel saeculari audeat convenire, sub poena decem marcarum grossorum Pragensium. [s. 377] A sententia autem Rectoris nullus appellare valeat vel supplicare, aut restitutionem in integrum petere, nisi ad Consiliarios Universitatis. Quod si fuerit Causa magni momenti, a Consiliariis poterit dari appellatio ad Universitatem. Si autem causa fuerit inter Professores Beneficiatos, ad Episcopum Crac. tanquam Cancellarium Universitatis pro tempore existentem recurrri debeat iuxta privilegium Vladislai Regis per Sedem Apostolicam confirmatum. Quidquid autem Episcopus cum Rectore et Decanis Facultatum vel majori parte decreverit, istud sine omni contradictione servari debebit sub poena excommunicationis et exclusionis, iuxta Privilegium Alberti Episcopi et Cancellarii Universitatis et Sedis Apostolicae Delegati; et hoc ne Professores per lites et jurgia a suis lectionibus avocentur, et finis litibus expeditius imponatur. In Criminalibus vero majoribus, de numero Studiosorum excedentes proscribantur de Urbe per Officia Saecularia pellendi.

Pars Secunda.

De pecunia Universitatis et Privilegiis.

Quae recte Statuta sunt de pecunia Universitatis et Privilegiis ejus, ea ad executionem deducendo ordinamus. 1mo ut in loco separato in thesauro Collegii Majoris pecunia Universitatis, privilegia resque ceterae asservantur. 2do ut inventarium authenticum eorum om[ni]um, quae asservabuntur in thesauro, conficiatur manu Rectoris et Decanorum subscriptum in quod Inventarium etiam in posterum inscribentur omnia et singula, quae illuc inferentur. 3tio ut Custodes duo, unus e Theologis, alter e Jureconsultis, in triennium eligantur eadem die qua fit Procuratoris Universitatis electio. 4to ut librum compactum habeant, in quo unusquisque nomen suum inscribat. Si quid ex munimentis ex thesauro Universitatis accipiet, melius autem ut collationatum manu Notarii Rectoris aut Apostolici extradatur, originale autem servetur.

5to ut secundum inventarium omnia reddere sint obligati Custodibus, qui in locum illorum postea eligentur. 6to ne Rector ultra decem marcas de pecunia Universitatis propria auctoritate exponere praesumat. 7mo quoniam Procurator Universitatis et alii Professores frequentur opus habent privilegiis ad informationem de officiis et beneficiis suis, ne semper authentica opus sit accipere, conficiantur libri, in quibus describentur omnia privilegia et munimenta, quaecunque reperiri possunt, unus pro Collegio Majori et omnibus ad illud pertinentibus, alter pro Collegio Jurisconsulorum, tertius pro Collegio Minori. [s. 379]

De Procuratore.

Statuimus etiam, ne Procurator Universitatis arendas et locationes villarum, lapidearum, domorum sine totius Universitatis consensu faciat, quo Universitatis melior fieri possit conditio.

De Dismembrationibus.

Diligentiam in Professoribus excitare praemio et poena cupientes dismembrationibus antiquitus constitutis, ex Praepositura S. Floriani flor. 400 juxta decisionem iudicis delegati Sedis Apostolicae sub poena excommunicationis et privationis beneficii per Praepositum loci extradendorum, et Bursa Ungarorum tempore reassumantur, nimirum uni statim post festum S.S. Trium Regum; alteri post festum S. Michaelis, ubi Rector informatione a Decanis accepta, de singulorum Professorum negligentia habebit in manu, quo puniat uniuscujusque negligentiam, ad quod ex vi iuramenti, circa confirmationem sui praestiti, ex praescripto Statutorum tenetur.

De Beneficiis Universitatis.

Quia grave scandalum reputatur si homines, qui alios docent, beneficia Ecclesiastica male administrant, et Officia, ad quae ratione ipsorum obligantur, negligunt, statuimus, ut singulis annis, ini/s. 380/tio commutationis aestivae, diebus non legilibus, Praepositus cum Consiliariis visitet Beneficia quisque domus suae hic Cracoviae et in Suburbiis consistentia, atque diligenter sciscitetur, an sit in integro supellex Ecclesiastica, cujus Inventaria ordinate descripta in unaquaque domo esse debent; et an officia divina secundum fundatorum voluntatem peragantur. Ruinae si sint, quod si eas possessor aut resarcire noluerit, aut neglexerit, beneficium sequestro, praevia una et altera monitione, subiiciatur. De qua visitatione ipsi Praepositi Collegiorum Dno Rectori teneantur reddere rationem post electionem aut confirmationem, ad maximum in tribus septimanis, sub poena duorum florenorum, qui quidem secundum praestitum iuramentum, omnes partes Universitatis considerare, et omnes defectus corrigere est obligatus.

Pro Parochialibus, etiam extra Civitatem consistentibus, singulis annis tempore vacationum Dnus Rector deputare tenebitur Visitatorem, unum ex Professoribus, quem ad hoc magis idoneum putaverit, qui una cum Procuratore Universitatis ad Ecclesias, Luborzycensem, Prossovicensem, Corczynensem, Premykoviensem, Ilkussiensem, Vieliciensem, Nasiechovicensem, et alias cum tempore accessuras, sumptu eorundem possessorum, singulis annis, vel saltem ad maximum triennio descendit, et de omnibus defectibus Dno Rectori fidelem relationem, [s. 381] facient, circa finem vacationum, sub poena duorum florenorum, tam per Procuratorem quam per Visitatorem incurrenda. Quod si in officiis suis possessor beneficii negligens fuerit et ruinas Ecclesia aut domus residentialis minentur, neque restaurationem curaverit, sequestrandum beneficium, praemissa una et altera monitione censemus tam diu, donec ex proventibus illius Ecclesiae sufficiens restauratio fiat. Domos etiam Universitatis Procurator singulis annis cum uno a Rectore deputando revideant.

De electione Decanorum.

Quamvis antiquo Statuto cautum erat, ut Decani in singulas commutationes eligerentur, vel reeligerentur, tamen quia propter causas certas et rationabiles postea conclusum est, in hunc usque diem observatum, ut in facultate Theologica, Jurisconsultorum et Medica, Decanatus esset annuus et in omnibus facultatibus,

ne iterato cuique, sed ex ordine singulis deferatur: singularum Facultatum posterioribus constitutionibus de electione Decanorum standum esse decernimus. In facultate tamen Philosophica, de antiqua praxi et lege bis in anno Decani electio fiat, idque pro commutatione hyemali sabbato ante festum S. Galli Confessoris ex Collegio Majori; pro aestivali vero commutatione, ex Professoribus Collegii Minoris Sabbatho ante festum S. Georgii, attenta personae diligen[s. 382]/tia in tradendis lectionibus, et si non habuerit impedimentum de non absolutis actibus pro toga, per facultatem assignatis, ac alia in statutis ejusdem facultatis descripta. Theologicae autem facultatis Decani, festo S. Marci Papae, 7ma 8bris.

DE ELECTIONE COLLEGIATORUM.

Statutum de electione Collegiatorum veluti apprime salutare ad usum omni ex parte revocandum censemus. Et ne in electionibus errores admittantur, semper ad convocationem Dominorum Doctorum et Magistrorum, ad quos pertinet electio, afferatur privilegium Officii vel Beneficii, quod conferendum est, ut ex eo appareat, quae conditiones requirantur ad illud officium, et quis ex candidatis sit aptior ad eas obeundas in Concl. fol. 26.

Absens, aut non laborans, ac in Universitate non residens, ad beneficia et officia nullo modo vocandus.

Quamvis qui prior tempore potior est et jure, eos tamen senium defendit, quibus ceterae virtutes ad assequendum illum gradum suffragantur, juxta privilegium Vladislai Regis, et Joannis XXIII Papae, et Alberti Episcopi Crac., et qui laborando et idoneos fecerint, aliis prius vocandi. [s. 383]

Nullus item ad Collegium minus vocetur, nisi qui cursum philosophicum audiverit nec ex hoc, uti ex Seminario aliorum Collegiorum ad Majus, nisi theologicis lectionibus, praecipue tamen cursibus theologicis, quod omnino indispensabile sit, operam dederint sub Professoribus eas tradentibus, neque ad Juridicum, nisi lectiones Juridicas audiverit.

De Investitura ad Minoris Collegii Professiones. [s. 384]

Quia Ordinarius Decano et Custodi S. Floriani duodecim Minorum Collegiatorum institutionem concedidit, quae illi ipsi de Jure competeat, vetans sub onere conscientiae et excommunicationis poena, ut invalidos et ad lectiones minus idoneos instituant: omnino necessarium esse judicantes: ut qui ad aliquam Lecturam e minori Collegio eligitur, teneatur institutionem statim sequenti die a Decano vel Custode S. Floriani respective petere, et iuramentum circa Institutionem praestari solitum de obedientia Ordinario exhibenda, Inventario rerum beneficii sui conficiendo, Bonis Ecclesiae non alienandis et alienatis, pro posse recuperandis praestare, et Literas Institutionis formatas sub manu et sigillo instituentis, quae gratis dari debent, accipere, nec patiantur in gravamen conscientiae suae, dicti Decanus et Custos aliquem absque institutione canonica lecturas tenere.

Indignum videtur ea, quae virtuti, industriae et eruditioni debentur, per sordes aut alias vias obliquas et illicitas quaerere. Proinde statuimus, ut si quis per corruptiones aliquem gradum aut vocationem acquirere in Universitate nostra tentaverit, et ipse illo ascensu privatus censeatur, et alium expectare cogatur.

De Expensis circa Ascensum.

Cum nimis absurdum sit inter homines studiis deditos, vanas et superfluas expensas fieri, quarum expensarum vanitate et superfluitate ab ascensu multi terreri possint, prohibemus, ne vocati ad Collegia, prandia solennia aut coenas apponant, sed juxta Leges Collegiorum et Statuta procedatur.

De personali residentia Collegiatorum.

Cum omnes Professores intentioni fundatorum satisfacere omni/s. 385/no sub onere conscientiae teneantur, statuimus, ut omnes professioni suae, quam diligentissime attendant, neque se durantibus lectionibus abstrahant, sub poenis in statutis cujuslibet facultatis expressis. Nimirum, si quis sine justa et rationabili causa per Decanum approbanda, uno die lectionem, aut disputationem neglexerit, detrahatur illi ex dismembratione, juxta privilegium Alberti Episcopi, nimirum pro una lectione Magistr grossi duo; pro una lectione Jurisconsulti ordinarii, grossi sex, aliorum grossi quatuor. Poena Medici, grossi tres. Si vero per duos menses aut tres negligentiam commiserit, sine justa et rationabili causa per Rectorem approbanda, nil de iis, quae in commune distribuuntur, et de salario suo, si quod certum est, accipiat, et ascensu careat, donec sedula diligentia negligentiam suam compensaverit. Justa autem causa intelligitur, si esset absens in negotiis Regni, Episcopi, Capituli et Universitatis, aut in propriis urgentibus, habita licentia a Magfco Rectore, juxta declarationem Alberti Episcopi in privilegio. Ordinamus praeterea, ne quis in Italiam aut exterarum nationes proficisci audeat, nisi licentia prius a Lociordinario ratione Professionis obtenta, et alio Magistro in locum suum surrogato sub poena privationis suae Collegiaturae ipso facto incurrenda. Licentia autem dari non debet, nec cum filiis Nobilium, nisi ad summum ad biennium, et non plu/s. 386/ribus quam duobus, vel tribus ex tota Universitate.

Contra assumentes laureas alibi. Quoniam injustum ac indecorum est, alibi illa quaerere, quae in Universitate nostra habentur, ideo Statutum antiquum reassumendo decernimus, ne ullus Professorum Academiae hujus in alia Universitate quascunque Laureas assumere contendat sub poena non admissionis ejusdem ad locum inter Doctores, excepta Medica Facultate, cujus Professores in exteris Doctoratum assumere solent.

De convocationibus.

Cum doctorum virorum congregationes debeant esse omnis gravitatis, modestiae, bonique ordinis exemplar, statuimus, ut in quibusvis tam Universitatis quam facultatum aut Collegiorum, uno loquente, caeteri omnes taceant, et nullus loqui possit, nisi de licentia Rectoris vel alterius convocationi Praesidentis. Si quis convocationem turbare, vel in alterius sententiam involare praesumpserit, statim a convocatione expellatur, et secundum delicti modum a similibus convocationibus, ad menses tres, sex, vel etiam ad annum suspendatur, maneatque voce privatus, qua uti non didicit. [s. 387]

De anniversariis et aliis mandatis Rectoris.

Quia aequum ut, sempiternam recolamus memoriam fundatorum, et aliorum benefactorum, ideo pium majorum institutum perpetuo observandum teneri volumus. Quatenus quatuor temporibus Missa per totam Universitatem celebretur, in qua praemisso sermonem per unum ex Theologis, nomina tam vivorum quam mortuorum benefactorum, post sermonem brevem, [s. 388] clara et distincta voce recitentur. Aliis vero anniversariis ordinariis, dies hos destinamus:

Pro Rege Vladislao Jagelone fundatore Universitatis, Pro Hedvigi Regina consorte ejusdem Vladislai, fundatrice Universitatis. Pro Casimiro III, Vladislai Jagelonis Filio, et posteris ejus. Pro Joanne Alberto, Casimiri Filio. Pro Stephano Rege et Anna Jagelonia, Consorte ejus. Pro Vladislao IV. Feriam 4tam post Dominicam primam Quadragesimae, si duplici festo, non fuerit impedita. Anniversariis vero ordinariis 1mo pro anima Perillustis Laurentii Staringelii Infulati Zamosciensis, postridie festi Commemorationis Defunctorum. 2do pro anima Perillustis M. Adami Roszczewicz J. V. Doctoris, Canonici Crac. f. 4ta post Dnicam secundam Quadragesimae. 3tio pro anima Perillustis et Reverendissimi Markiewicz, J. U. Doctoris, Canonici Cracovien. f. 4ta, post Dnicam 3tiam Quadragesimae. 4to pro anima Lucae Noszkowski feriam 5ta ante Dominicam Passionis in Ecclesia D. Annae. 5to pro anima Perillustis Gorscii ex censu annuo a summa flor. 1000 in Xiążnicy et Karszy locata, per manus Perillustis Procuratoris Ecclesiae Sanctorum Omnium dando in eadem Ecclesia SS. OO. [s. 389]

De absentia in anniversariis.

Quoniam datur beneficium propter officium, ideo cavemus, quatenus absentibus in anniversario portio ipsis competens adimatur, et aliis praesentibus adscribatur, nisi sint per Universitatem, aut Magnificum Dnum Rectorem, data notitia anticipative de legalitate aliqua dispensati, aut legitima occasione ratione officii in Universitate detenti, aut vera infirmitate pressi. Et quia actus Universitatis ordinariis Professoribus debent, tam ex vi obligationis Professoralis, quam et pietatis, jam autem in mandatis quartualibus, (ex qui[s. 390]bus nullum salarium speratur nec percipitur) vix aliqui compareant; ideo statuimus quoties aliquis in mandato quartuali absens fuerit, totiens florenus unus ex anniversario pensionali, aut aliqua dismembratione Universitatis ipsi rescindatur, et praesentibus applicetur.

De actis Universitatis.

Quoniam Acta Rectoralia, alia igne absumpta sunt, et alia neglecta, quae vim legis habent et ex quibus lumen in similibus occurrentibus negotiis haberi posset, ideo statuimus, ut haec qualibet commutatione per actuarium Rectoralem conscribantur, et futuro Rectori in inauguratione per antecessorem Rectorem reddantur. [s. 391]

De Bedellis Universitatis.

Bedelli viri bonae conditionis et famae, et aliquantum literati per Universitatem eligantur, qui jurabunt, quod obedient Dno Rectori et ad illius vocationem venient et statuta Universitatis ad eos pertinentia servabunt; unus singulis diebus ad Rectorem veniet, alter lectores omnium facultatum obibat, observando

vel notando, qui legunt lectiones suas, et D. D. Decanis facultatum die Sabbati deferet negligentias, jam vero Decani facultatum easdem negligentias in decursu commutationis aut ante dandas rationes per Procuratorem Magnifico Rectori in scripto porrigent, lectori[s. 392]orum munditiam conservabunt, fenestras lectoriorum eximent et imponent pro diversitate temporum, in praesentia Dispensatoris vel Praepositi orbiculos annotabunt. Tumultibus aut inconvenientiis studiosorum inter Judaeos ac in aliis locis attendent. Rectorem in omnibus diebus festivis et dominicis ad ecclesiam euntem, unus sequetur. In omnibus actis publicis Universitatis aderunt et in facultatum convocationibus Decanis operam suam navabunt. Dismembrationes ex manibus Procuratoris Universitatis fideliter deferent. Pro salario suo et fisco Universitatis singuli habebunt in singula quatuor tempora per florenos quatuor, et pro mansione unusquisque pro anno florenos viginti. Ab his, qui promotiones et gradus in Universitate accipient, juxta antiquam consuetudinem. [s. 393]

DE EVOCATIONIBUS.

Insistendo Bullis Joannis XXIII, Pauli V. Leonis X et Urbani VIII, Privilegiis Vladislai Jagellonis et Casimiri Magni, Sigismundi Augusti Regis, tum decretis de iurisdictione ordinaria Rectoris, 1mo Illustrissimi et Reverendissimi Karnkowski, Archiepiscopi Gnesnensis Anno Dni 1599 die XXV Augusti; 2do Illustrissimi et Reverendissimi Martini Szyszkowski, Rectoratu admodum Rev. olim Janidlovii, de Anno 1618. 3tio Illustrissimi et Reverendissimi Zadzik, Anno Dni 1639. 4to Illustrissimi et Reverendissimi Petri Gembicki, Episcopi Cracov. inter admodum Rndum Stanislaum Pudłowski J. U. Doctorem, Anno Dni 1644. 5to Perillustris Rev. Dni Septimi Palutii, J. U. Doctoris, Protonotarii Apostolici Curiae, Illustrissimi et Reverendissimi Dni Francisci Pignatelli, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopi Tarentini, ejusdem Sacrae Sedis Apostolicae ad Serenissimum Augustum Secundum Poloniae Regem potentissimum, totumque Regnum Poloniae et M. D. Lithuaniae cum facultatibus Legati de Latere Nuntii Generalis, causarum Auditoris, per Illustrem Clarissimum et admodum Rndum. M. Martinum Słowikowski, J. U. Doctorem et Professorem, contra Universitatem, ratione electionis clarissimi et admodum Rndi Gregorii Caroli Kawalczewski in Seniore contubernii Juridici, inhibitionem cum citatione revocantis in damnis et litis expensis condemnantis Anno Dni 1709 Die Veneris XII Mensis Novembris, latis et publicatis. Conclusionem de Anno 1658 Die XII Junii latam, Rectoratu Magnifici Dni Francisci Roliński, Philosophiae et Medicinae Doctoris et Professoris: reasumimus, quae est tenoris ejusmodi. Universitatis unanimi omnium Doctorum et Professorum consensu, rigorem antiquarum legum et conclusionum reassumendum esse censuit et uno omnium ore conclusit, ne aliquis in posterum talis reperiatur, qui in causis mere academicis iisque civilibus, ad Illustrissimum Lociordinarium appellare, aut eo nomine protestari audeat: cum per hoc ipsum perniciēs iurisdictionis Academiae et ruina Universitatis immineat, privilegia autem et Statuta, tam Serenissimorum Fundatorum, quam Universitatis totius hoc exoptant, ut omnium causarum cognitio prima fiat apud Rectorem, altera apud Consiliarios, et demum tertia ac ultima, apud Universitatem, quae suum vigorem habere debet, sine ulteriori provocatione. Si vero talem contigerit

habere beneficium ecclesiasticum, vel aliud saeculare, vel tanquam vacans alteri conferatur per eum, cui de iure competierit, in spatio septem dierum alias conferet Universitas. Secus intelligi debet de beneficialibus causis, in quibus [s. 394] a sententia Rectoris libera erit ad Illustrissimum appellatio, qui ex pluralitate sententiarum per Decanos facultatum latorum, juxta ordinationem Alberti commissarii apostolici, et decreta subsequencia gravatae parti gratificari poterit.

DE SALARIIS MORTUORUM PROFESSORUM.

Quoniam in mortuos, quorum memoria salutaris, pios nos reddere debemus, ideo decernimus, quatenus ad diem (ne per lites et prosecutiones Professores a Cathedris avocentur), funeris, portiones per collegia, tum et salaria et dismembrationes, tam collegiorum quam Universitatis — ipsos concernentia, ad manus executorum extradantur.

DE TESTAMENTIS.

Et quia per extraneos nominatos executores, laesio iurium Universitatis intenditur, jam vero Magnifico Dno Rectori soli dispositio, tam post intestatos, quam testatos, etiam extranea beneficia tenentes Professores, vigore bullarum Sedis Apostolicae et decretorum Romanorum, iurium Regni, ac antiquae possessionis spectat: ideo quemlibet Professorum sub onere conscientiae, vigore iuramenti de bono Universitatis promovendo praestiti, obligamus: ut quilibet Professorum, salarios sibi Professores, unum aut duos primos, si fuerint plures, in executores eligat, reliquos sibi pro libertate adiiciet. Qui executores statim post obitum testatoris approbationem testamenti per Magnificum Dnum Rectorem procurent, rationes de perceptis et expensis, nimirum de munere executoriae, post decursum anni unius et sex septimanarum dare tenebuntur.

DE BORCANIS.

Aut antiquitate temporum, aut debita inadvertentia, quoniam foundationes interire solent, ideo statuimus, ut Borcanae studiosorum in duos libros conscribantur. Quorum unus sit penes Dnum Rectorem pro tempore existentem, alius in Archivo Collegii Majoris. Quarum Borcanarum Provisores, juxta ordinationes fundatorum eas distribuent, rationesque de perceptis et expensis, quolibet anno, coram quo de iure juxta ordinationes competierit, dabunt. Quod si aliqui negligentes in vindicatione earum et distributione fuerint, extunc per officium Recto[s. 395]rale moneantur, ut aut illas aliis tradant, aut serius vindicent neglectas. De quibus autem rationes coram Magnifico Rectore dari debent iis reddendis, sicut et convocationi Decanorum, feriam secundam post Dnicam Passionis, aut si fuerit impedita, die proxima sequenti praefigimus. In qua Convocatione, Provisores Contuberniorum, uti Hierosolymitani, Jageloniani, Philosophorum, Staringeliani, Ziziniani et Provisor classium rationes etiam de perceptis et expensis dabunt.

RATIONES PROCURATORIS.

Quoniam electio Procuratoris ad annum tantum esse soleat, ideo rationes per eundem quolibet anno dari debent. Quibus faciendis, sicut et convocationi

consiliariorum feriam sextam ante Dnicam Passionis, si non fuerit impedita festo, assignamus.

DE LECTIONUM INCIPIENDARUM ET TERMINANDARUM TEMPORE.

Et ne aliquando in tradendis lectionibus ordo permutetur statuimus, ut lectiones Theologicas et Juridicas, tam Doctores, quam Professores earundem Facultatum, commutatione aestiva in crastino festi S. Stanislai terminent. Jam vero commutatione hyberna, immediate post festum commemorationis fidelium defunctorum inchoent, et ad Dnicam Passionis protrahant, quod etiam Oratori Tyliciano incumbit. Clarissimi autem Medicae Facultatis Doctores et Professores, tempore vacationum et sacrae Quadragesimae, juxta Statuta facultatis suae perlegent. Philosophiae vero facultatum Doctores et Professores, lectiones Philosophicas incipient tempore verno tertia die post electionem, aut reelectionem Magnifici Dni Rectoris, et ad festum Exaltationis S. Crucis protendent. Jam vero hyberno, tertia similiter die post electionem Magnifici Rectoris, usque ad Dnicam Quinquagesimae. Actus vero Philosophici, simul cum studio Philosophico incepti, commutatione hyemali, usque ad Dnicam Passionis tam in superiori, quam in inferiori lectorio protendentur. Jam vero commutatione aestiva a tempore studii in superiori lectorio ad festum S. Margaretae, jam vero in inferiori ad festum S. Laurentii, et post reassumpta studia, a festo S. Bartholomaei in utroque lectorio, ad festum Exaltationis S. Crucis continentur. Et ut in tradendis postea lectionibus majorem facilitatem V. V. Baccalaurei habeant, iuxta antiquam consuetudinem, tam tempore S. Quadragesimae, quam vacationum, compendia lectionum tradent, actus extraordinarios absolvent, premissa per [s. 396] Decanum facultatis Philosophicae de iisdem accipiendis convocatione. Quod tempus, absolvendis etiam pro toga actibus, destinamus.

DE CONFERENDIS TOGIS IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

Quoniam quilibet honor praemium est meritorum, ideo reassumendo conclusionem Universitatis, Rectoratu Magnifici M. Martini Ośliński, S. Theologiae Doctoris et Professoris, Ecclesiae Collegiatae S. Annae Decani, Classium Novodvorscianarum et Contubernii Hierosolymitani Provisoris latam, decernimus, quatenus nulli toga conferatur, neque illam aliquis petere audeat, nisi post expletum quadriennium Magisterii sui, nimirum biennium vigore juramenti, et biennium aliud pro toga, sub poena privationis collatae togae, et aliis poenis, contra inobedientes ac refractarios latis. Hoc autem quadriennium illis suffragabitur, qui omnibus suis officiis in tradendis lectionibus, absolvendis actibus, ipsos ex ordine tangentibus ex esse satisfecerint, alias his deficientibus, etiam expleto quadriennio, petitio ipsorum reiiciatur, donec seria diligentia, negligentias anteactas compensaverint.